



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.
tribunali animam Deum verè quærentem paternè ...**

Eisvogel, Veremund

Augustae Vindelic., 1727

Die 8. S. Wicterpus Episcopus, & Doctor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

Claves sint sancti mores, & pura conscientia.

Festum S. Wicterpi Augustæ
Vindelicorum Doctoris, & Episcopi.

EXHORTATIUNCULA I.

Discamus, ô fili! quid debeamus Mariæ. Huic cum corde se totum dedit Wicterpus, nec hoc contentus, addidit & fundum pro ædificanda Mariana Basilica. Templum si struere non valeamus ex lapidibus, matri saltem struamus ex piis devotionum, & pietatis affectibus. Et id nunquid impossibile? Absit? Amanti suavia sunt omnia.

Instructio meritoria.

Si quod nobis altare in cubiculo, hodie ornemus, & si nulla in eo Beatissimæ Virginis affixa S. Imago, inferamus, & aræ imponamus cum hymno: *Ave Maris stella*: Et *Salve Regina*. In ore, & manibus probatur amor Mariæ.

II.

Fili! nec in morte dimittit Maria, qui eam teneriùs dilexit per vitam. Wicterpi tumulum aliò transferri voluit

N 5 ho-

homo. At non concesserat, quam tam fervidè coluit, cœli Domina, & Virgo immaculata. Quàm bene est ergò filio, dum vivit sub potenti Mariæ patrocinio. Et quis unquam ab hac matre æger, aut tristis abiit?

Instructio meritoria.

Nos ita velle vivere, & mori, testemur hodie *formula votivâ cum Litanis Lauretanis*, statuentes, & hac septimana servare jejunium sabbathinum. *Talis est quisque, qualis est ejus dilectio.* Terram diligis? terra es. Mariam diligis? Mariophilus eris tam in vita, quàm in morte. O pretiosa mors, quam excipit Mariæ sinus!

III.

TRiste spectaculum exhibet piæ cui-dam Virgini S. Wicterpus. Jesum ostendit sub elevatione plagis, & sanguine deformem. Quis vulneravit? Sacerdos sacrilegus. Fili! tanti est, assistere, vel immolare missæ sacrificium cum impuritate! accedamus cum tremore!

Instructio meritoria.

Studeamus recollectioni, & modestiæ,
dum

dum stamus, vel oramus ad immolationem sacræ Missæ. Tempus id gratiæ, non offensæ est. Ut avertantur horrendæ ejusmodi sacrilegia, & omnia sanctè fiant sacrificia, recitemus *Rosarium de quinque* dolorosis Mysteriis cum Rythmo: *Adoro te devotè latens Deitas.* Offensæ compensantur signis reverentiæ.

Festum B. Idæ Lovaniensis, ex Ordine SS. Patris Benedicti, in Monasterio vallis Rosarum Prodigiousissima.

EXHORTATIUNCULA I.

Tanto mentis ardore Passionem Domini contemplatur Ida Beata, ut Christus quinque vulnerum stigmata igneò amoris stylò cordi, manibus, & pedibus impresserit Beatæ. Quàm verum: Amor aut similes invenit, aut facit. O fili! non amamus Christum, si nesciamus compati.

Instructio meritoria.

Feriam sextam perpetuò cultui Passionis Dominicæ destinemus, sacro ad no-